



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Petri Laurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa
Canonica Deductus**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1708

51. An Regulares ad hoc, ut sint Vicarii Episcoporum, egeant licentiâ
suorum Superiorum Regularium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

decidendas causas tam civiles quàm Ecclesiasticas & mixtas, idcirco debet esse versatus in ea facultate, quæ ad id necessaria est, ait Card. de Luca *loc. cit. num. 14.* testaturque idem *num. 17.* respondisse S. Cong. Concil. desuper interrogatam, doctoratum in Theologia non sufficere in concursu Doctorum in decretis seu Jure Canonico. Num verò sufficiat Doctoratus tantum in jure civili, disputat idem Cardin. *loc. cit. à num. 16.* ubi etiam in affirmativam propendet, dum ait; quòd dum decretum conciliare præcisè ac taxativè se non restringat ad Doctoratum in decretis; sed adhibeat dictionem *saltem*, ita excludere non videatur aliam speciem Doctoratus, qui causarum determinationi magis congruus est ex vulgari dictorio: quòd Legista sine canonibus imperfectus iudex est, parumque valet; sed canonista sine legibus nihil valet. Menoch. *de arbit. caus. 420.* Ideoque magis opportuna est pericia in legibus, quàm in canonibus. Vide tamen, quæ pro opposito subjungit *ibidem* idem Cardinalis.

Quæstio 50. Num Regulares seu Religiosi esse possint Vicarii Episcopi?

Respondeo primò: Non tantum Canonicus secularis deputari potest Vicarius Episcopi. Sbroz. *l. 1. q. 42. num. 1.* citans quam plurimos: (qualiter verò percipere possit distributiones quotidianas, & excusetur à residentia, & in absentia percipere possit fructus sui beneficii, vide apud Sbroz. *l. 1. q. 43.* & me ipsum *fori benef. p. 1.* ubi de residentia beneficiatorum) verum etiam Canonicus Regularis Pirh. *loc. cit.* Pax Jord. *loc. cit. num. 109.* Sbroz. *l. 1. q. 37. num. 1.* citans Paris. *conf. 40. num. 10. vol. 4.* Cuch. *in instit. juris can. l. 2. n. 57. & DD. in c. si quis. dist. 68.* Confirmat id Sbroz. *loc. cit. num. 5.* à pari, quo nimirum Canonicus Regularis creari possit Archidiaconus, qui & ipse est Vicarius Episcopi, pro quo citat Gl. *2. in c. præterea. de præb. Innoc. conf. 165. num. 40.*

2. Respondeo secundò: Monachus quoque deputari potest Vicarius Generalis Episcopi. Pirh. Pax Jord. *locis cit.* Barbol. *juris Ecclæs. l. 1. num. 16.* Azor. *p. 2. l. 3. c. 43. q. 12.* Ventrigl. *Tom. 2. annot. 14. §. 1. num. 4.* Rebuff. *in pr. benef. tit. de Vicar. Episc. num. 30.* Cuch. *ubi ante.* Fulc. *de visitat. & Reg. Ecclæs. l. 2. c. 17. num. 100.* Vantium *de nullit. ex defect. jurisd. deleg. num. 82.* & plures alios, quos omnes moveri ait per Gl. *in c. Monachi. v. Abbate. ead. q. ubi Monachus ab Episcopo iudex constitui potest.* Item per Gl. *in c. si quis. & ibi DD. v. majorem dist. 58.* ubi *Monachus potest esse Vicarius Episcopi.* Et, ut Sbroz. *loc. cit. num. 8.* Quòd Monachi possint utilitatis gratià per Episcopos à claustris avocari. Pro quo citat. Rotam *decis. 3. tit. de off. Vicar. in antiq.* Cardin. *in Clem. 1. §. ad Prioratus. de regular. in 6.* Debere tamen in eo casu habere Monachum socium Religiosum de suo ordine; quia solus stare non debet. Azor. Pax Jord. Pirh. *locis cit.* Sbroz. *l. c. n. 15.*

3. Respondeo tertio: Religiosus tamen ex ordine mendicantium assumi nequit in Vicarium. Azor. Pirh. Barbol. *locis cit.* Engels *ad tit. de off. Vicar. n. 9.* Rebuff. *in pr. tit. de Vicar. Episc. num. 32.* juxta Clem. *1. §. ad Prioratus. de regul. & Clem. in plerisque. de elect.* contra Meroll. *Th. mor. p. 3. d. 7. c. 6. dub. 5. n. 36.* apud Ventrigl. *l. c.* qui solum à Vicariatu removet mendicantes Ordinis Fratrum Minorum. Quorum quoque solum mentionem facit Sbroz. *l. c. n. 5.* dum

ait, in Fratribus Ordinum Minorum ea locum habere, quæ in contrarium obijciuntur contra Monachos, quò minus esse possint Vicarii Episcopi, utpote qui funditus pro mortuis habentur, & secus esse de Monachis. Denique testatur *l. 1. q. 36. n. 13.* in Episcopatu Fanensi deputatum fuisse in Vicarium Fratrem Joannem Mariam Brunellum Ordinis S. Dominici, qui quoque ordo inter mendicantes numeratur.

4. Respondeo quarto: Arcentur quoque à Vicariatu Episcopali Religiosi illegitimè nati. Engels *l. c.* citans Majol. *de irregular. l. 1. c. 3. num. 10.* juxta dicta à nobis supra, ubi, num illegitimus esse queat Vicarius Episcopi.

Quæstio 51. Num Regulares in hoc, ut sint Vicarii Episcoporum, egeant licentiâ suorum Superiorum seu Prælatorum?

Respondeo affirmativè: Pax Jord. Pirh. Ventrigl. Barbol. Engels *locis cit.* Sbroz. *cit. q. 38. n. 10.* citans Rebuff. *ubi ante. n. 30.* Cuch. *num. 58.* Cravet. *Consil. 325. n. 8.* & plurimos alios juxta dispositionem Trident. *Sess. 25. c. 4. de regular.* ubi expressè prohibetur, ne quis Regularis sine sui Superioris licentiâ electionis aut cujusvis pii operis prætextu se subiciat obsequio alicujus Prælati, Principis, Universitatis aut cujuscunque personæ. Idem extendit Sbroz. *l. c. n. 11.* ut similiter monachus sine licentiâ Abbatis aut Superioris sui nequeat esse Vicarius Capituli sede vacante, pro quo citat Pavin. *de potest. capit. sede vacant. p. 2. q. 10. n. 15.*

2. Limitat tamen hoc ipsum Sbroz. *l. c. n. 13.* ut procedat in Monacho claustrali; secus in Monacho habente administrationem, pro quo citat Cardin. *in Clem. 2. de rescript. n. 17.* Vantium *ubi supra. num. 82.* Darque rationem, quòd cum tali Monacho concedatur administratio, & consequenter conversatio, & frequentatio cum hominibus laicis, & aliis in causis secularibus, multò magis possit præfidere in causis spiritualibus. Sic etiam in specie de Abbate ipso habente administrationem, quòd possit esse Vicarius Episcopi, tradit Sbroz. *l. c. n. 16.*

3. Porro in eò, cuius Superioris licentiâ egeat, non conveniunt AA. Rodrig. *qq. regular. Tom. 3. q. 76. a. ult.* vult requiri necessariò licentiâ Generalis vel Provincialis. Probabilius verò esse, sufficere licentiâ immediati Superioris conventus, putà Prioris, Præpositi & similibus, defendit Meroll. *ubi ante n. 29.* apud Vintrigl. *l. c.*

4. Quòd si etiam Regularis non est exemptus à jurisdictione Episcopi, præter licentiâ Superioris requiritur quoque licentiâ Episcopi, cui subiectus talis Religiosus (intellige, dum hic diversus est ab Episcopo assumente illum in Vicarium) Meroll. *l. c.* Sbroz. *l. c. num. 11.* citans Cardin. *ubi ante.* Et, si discordant iste Episcopus & Abbas seu Superior dicti Religiosi, sufficere licentiâ Episcopi, tener Meroll. è contra debere Monachum tunc potiùs obedire Abbati suo quàm Episcopo, tenet Sbroz. ex Cardinale *l. c.*

Quæstio 52. Num valeat Sententia aliaque acta à tali Religioso assumpto in Vicarium Episcopi sine licentiâ sui Superioris?

Respondeo in hoc non convenire AA. non valere illa, defendit Sanch. *in Sum. Tom. 2. l. 6.*